



Burckardus ex illustri familia comitum de Heinfenstein oriundus fuit. Is multis uirtutibus ornatus Ottoni primo fortiter adhæsit, atq; hinc inde in prælijs conficiendis suæ fortitudinis documenta dedit. Accidit autem eo tempore, cum Arnolphus & Hermānus reguli Boiorum res nouas molirentur contra Heinricum ducem Baurariæ affinem suum, ut & Luitholphus Ottonis filius, atq; Conradus Ottonis gener cum iisdē conspirarent, atq; Baurariæ ducatum inter se partiri statuerēt. Erat autem Luitholphus gener Hermāni ducis Sueuorum. itaq; socero defuncto pater eum ducē Sueuiæ constituerat. Cum autem Otto hostes suos

superasset, atque fratrem Heinricum in Boiariæ ducatum restituisset, hunc Burckardum Heinrici generum ducem Sueuiæ ordinauit. Itaq; Burckardus eum ducatum magna gloria administrauit, atq; multo celebriorem reddidit, Cum autem postea Ungari sese in Sueuiam diffunderent, atq; cum Ottone Cæsare ad Lycum decertarent, Burckardus cum S. Huldrico præfule Auguftana urbe erupit, atq; magnam hostium stragem edidit. tandem uerò multitudine circumuentus fortiter pugnans interiit, atq; suis insignem uictoriam præparauit. Hunc aliqui cum superiori Burckardo eundem, alij uerò diuersum statuunt. Auent.